



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

IV. An in hæretico, vel infideli habitus fidei remaneat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

SECTIO IV.

An in heretico, vel infideli habitus fidei remaneat.

50 **R**estat dicere de hereticis, vel infidelibus, an in iis possit manere fides. Triplex autem potest esse quaestio. Prima an habitus infusus fidei possit manere cum habitu haerese, vel infidelitatis. Secunda an idem habitus infusus manere possit cum haerese, vel infidelitate actuali. Tertia an actus fidei diuinae supernaturalis possit elici ab habente actum haerese, vel infidelitatis, de quibus singulatim dicendum erit. De duabus primis agemus hac sect. de tertia vero sect. sequenti.

An habitus infusus fidei possit manere cum habitu haerese, vel infidelitatis? Quæstio prima facilis est in qua Bañes in praesenti quaest. 5. art. 3. §. hac sententia, & alij, quos refert Hurtado disp. 6. §. 42. putant esse repugnantiam physicam inter habitum fidei, & habitum vitiosum erroris contra fidem: quia in vniuersum eiusmodi repugnantia inuenitur inter quoslibet habitus contrarios, quales hi sunt. Hanc tamen sententiam latè, & bene impugnatur idem Hurtado dist. sect. 1. à principio usque ad §. 42. & breuiter impugnari potest primò quia dato, quod detur hac contrarietas, & oppositio inter habitus naturales, id tamen erit, ne dentur simul in gradibus intensis, sicut inter calorem, & frigus; non tamen excludent se in gradibus remissis, ut constat experientia; nam qui habet habitum intensum temperantiae, non perdit totum habitum per vnum, vel duos actus remissos in temperantia, licet per eos incipiat acquirere aliquam facilitatem ad similes actus: ergo ex hoc capite non repugnat simul habitus fidei & infidelitatis saltem in gradibus remissis.

51 **S**ecundò experientia ostendit, si aliquis post diuturnam haerese, & habitum vitiosum intensum conuertatur ad fidem, non semper perdere totaliter inclinationem, & propensionem antiquam ad haerese; imò ideo infideles denuo ad fidem conuersi, non facile ad ordines, vel alia Ecclesiastica munera statim admittuntur, quia de eorum perseverantia timetur propter propensionem, & habitum nondum omnino abolitum: non ergo repugnat habitus fidei cum perseverantia prioris habitus erronei vitiosi.

Tertiò quicquid esset de habitibus acquisitis, & naturalibus, non est tamen eadem oppositio inter habitus infusos, & acquisitos: nam habitus infusus, ut suppono, & probat latè Hurtado ubi supra §. 20. & sequentibus, non dant facilitatem, sed potentiam simpliciter, ut constat in puero baptizato in infantia, & nutritio in syluis sine fidei notitia, qui licet quandiu non peccat contra fidem sibi propositam, retineat habitum fidei sibi in baptismo infusum; non tamen ideo, quando ei fides iam adulto proponitur, experitur maiorem facilitatem ad fidem amplectendam, quam alius non baptizatus. Constat etiam hoc ipsum in peccatore, qui cum attritione in Sacramento poenitentiae iustificatur, & accipit omnes virtutes infusas, & tamen adhuc experitur difficultatem ad opera virtutis. Iustus etiam, qui habet habitus omnes infusos, & aliquando valde intensos, experitur saepe magnam difficultatem in relinquendo ludo v.g. venialiter malo, ergo virtus infusa non dabit facilitatem, sed potentiam ad actum honestum contrarium. Denique isti pec-

catoe supplet Deus per auxilium actuale extrinsecum, vel intrinsecum, quod praestare debet habitus infusus, si fuisset: & tamen auxilium non dat facilitatem, sed potentiam ad actum supernaturalem honestum, ergo nec habitus infusus dat eiusmodi facilitatem. Vnde sumitur iam argumentum pro conclusione: quia nulla est repugnantia inter potentiam ad vnum actum & inclinationem ac propensionem ad actum contrarium, ut constat in eo, qui cum repugnantia operatur bonum, ergo habitus fidei, qui dat potentiam ad assensum, non est impossibilis cum habitu acquisito erroris, qui dat facilitatem, & propensionem ad dissensum.

Hoc autem à fortiori, & clarius procedit sententia, quam ut probabiliorum saepe suppositum, quae docet, eiusmodi habitus acquisitos non esse alias qualitates superadditas praeter species intentas, & bene coordinatas ac dispositas ad representanda motiua, quibus inclinamur ad hos, vel illos actus. Nam eiusmodi species, quae haereticus habebat, proculdubio non corrumperetur per eius conuersionem ad fidem; sicut neque contra per haerese aduenientem corrumperetur species, quas in statu fidelitatis acquirerat: manent ergo iidem habitus acquisiti, qui ab iis speciebus non distinguuntur etiam adueniente habitu infuso fidei, qui cum iis speciebus non repugnat, sed ad summum cum earum usu deperuato, ut videbimus.

Sequitur ergo secunda quaestio de repugnantia habitus fidei infusae cum actuali haerese, vel infidelitate in quo puncto Durandus in 5. dist. 23. quaest. 29. docuit, posse manere habitum fidei in heretico, vel infideli, qui licet vnum articulum neget, potest alios credere fide diuina, & de facto credit. Quam sententiam alij omnes Theologi reiciunt cum Magistro dista dist. 13. & S. Thomas hac quaest. 5. art. 3. Scotus dista dist. 23. Suarez in praesenti disp. 7. sect. 4. num. 2. & lib. 11. de gratia c. 6. & 7. qui alios refert, & assertet etiam loca Augustini, Ambrosij, Leonis, Tertulliani, Cypriani, & aliorum pro hac veritate. Et quidem in genere loquendo, non potest Catholice defendi, quod fides amitti non possit: id enim constat aperte ex Scriptura passim. 1. Ioan. 2. de haereticis dicitur: *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si ex nobis essent, permansissent enim nobiscum.* Act. 20. *ex vobis ipsi exierunt viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Luc. 8. dicitur esse quosdam, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. 1. ad Timoth. 1. de aliquibus etiam dicitur, quod à corde puro, conscientia bona, & fide non fuit aberrantes conuersi sunt in vaniloquium: & intra dicitur, quod bonam conscientiam repellentes circa fidem naufragauerant, ex quibus & aliis multis locis probatur clarè contra Caluinum, & alios haereticos modernos, veram fidem, postquam habita est, esse amissibilem, & de facto amittit quod etiam experientia manifestissima constat, ut cum alijs probat Suarez disto capite 6. denique veritas hac definita videretur in Tridentino sess. 6. cap. 6. his verbis: *asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.*

Hoc ergo posito, in quo omnes conueniunt, difficultas prima est, an hac doctrina Tridentina intelligatur

intelligenda omnino sit de amissione, & expul-
sione ipsius habitus fidei. Aliqui enim volunt,
verba Concilij in primis non cogere, quia postea
in Canonibus non posita sunt à Concilio pars il-
la affirmans fidem amitti peccato infidelitatis, sed
solum pars negans amitti quocunque peccato
mortalis, ut constat ex *Canone* 28. Hoc tamen ef-
fugium refellit bene Suarez in *presenti dicta* sect.
4. num. 3. quia doctrina etiam in illis capitibus
tradita non minus ad fidem pertinet, quam do-
ctrina Canonum, ut constat ex *cap.* 16. Vbi de
tota illa doctrina subditur. *Post hanc Catholicam*
de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fi-
deliter, firmiterque receperit, iustificari non po-
terit, placuit, &c.

Alij etiam eam Tridentini definitionem debi-
litant, teste Suarez *dicto* n. 3. quia in predictis ver-
bis Concilium non directe, sed quasi obiter, &
per parenthesim dixit, fidem peccato infidelitatis
amitti. Quam responsionem impugnatur Hurtado
disp. 59. §. 2. 5. probans, id directe dictum fuisse à
Patribus Concilij & non in probationem alteri-
us dogmatis. Suarez tamen ibi fatetur, ideo
non esse de fide, sufficere verò, ut sine errore ne-
gari non possit, præsertim cum consensus etiam
sanctorum Patrum accedat.

Apparentius responderi P. Vasquez 1. 2. *disp.*
91. *cap.* 4. dicens, verba illa Concilij non esse
necessario intelligenda de habitu fidei infuso:
quamvis enim ipse probabilis putet habitum
infusum expelli, dicit tamen non esse certum de
fide, quod dentur tales habitus, atque ideo ver-
ba Concilij verificanda fuisse, etiam si habitus illi
non darentur, verificarentur autem de ipso statu
fidelitatis, qui per infidelitatis peccatum deper-
ditur, & non per alia quolibet peccata.

Hanc responsionem impugnatur latè Suarez *di-*
cto lib. 1. *de gratia*, *cap.* 7. num. 9. & *sequentibus*,
& mihi etiam omnibus pensatis non placet;
Primo, quia Concilium ibi de eadem fide loqui-
tur, de qua dixerat *cap.* 7. infundi in ipsa iustifica-
tione, & interiori renouatione hominis: quod
probat Hurtado *vbi* *suprà* §. 24. ex verbis illis:
quamvis non amittatur fides accepta. Sic enim le-
git ipse verba Concilij; & ex illis arguit, sermo-
nem esse de fide ipsa, quam *cap.* 7. dictum fuerat
infusam accipi in iustificatione. Sed ego nescio,
vbi sectionem illam in textu Concilij inuenerit,
nisi fortasse in editionem aliquam mendosam in-
ciderit: nam verba Concilij sunt; *quamvis non*
amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam
amitti, non dicit, fides accepta, sed fides, & po-
stea: acceptam iustificationis gratiam. Ipse autem
totum textum aliter transmutatum receperat §.
23. & postea ex illo falso textu iterum recitato,
& ponderato arguit n. 24.

Retenta tamen vera & legitima littera Con-
cilij, probari potest sermonem ibi esse de fide ha-
bituali: nam de eadem prorsus fide dicit amitti
peccato infidelitatis, & non amitti aliis peccatis:
fides autem de qua definit non amitti aliis pec-
catis, non potuit intelligi fides actualis, nam iux-
ta iuris regulam, nemo potest amittere id, quod
non habet, contingit autem sæpe aliquem pecca-
re mortaliter, qui nec proximè antea exercebat
actum fidei; non ergo amittit per peccatum fi-
dem actualē, nec hæc permanet tunc, nec de hoc
poterat esse controuersia, nec necesse erat, quod
Concilium definiret his peccatis non expelli fi-
dem actualem, nec verum erat illam remanere,

sed sermo erat de aliqua fide perseverante, quan-
do sunt alia peccata, quam definiunt, non amitti,
sed adhuc permanere, & hæc cum non sit actua-
lis non potest esse, nisi habitualis. Nomine autem
fidei habitualis non poterat ibi intelligi solus mor-
alis status fidelitatis resultans ex fide actuali
præterita non retractata. Nam hic status non est
aliud per se, nisi fides actualis præterita non re-
tractata, nec reuocata per contrarium actum: qua-
re dicere, quod peccato infidelitatis fides amitti-
tur, nihil aliud est, quam dicere per actum infide-
litis, fidem negare; quod quidem non erat dog-
ma definitione dignum: cum enim essentia infi-
delitatis sit negare fidem, dicere, quod infideli-
tas fides negatur, esset dicere, quod infidelitas est
infidelitas. Plus ergo dixit Concilium, & de alia
fide loquitur, quando dixit, fidem amitti, nempe
de fide habituali, seu de habitu fidei, qui eo peccato
deperditur, de quo nimirum habitu dixit retineri
positis aliis peccatis. Neque enim voluit solum
retineri statum fidelitatis, hoc est, non esse nega-
tam fidem præteritam: quia hoc non esset aliud,
quam dicere, quod peccata distincta ab infideli-
tate non sunt peccata infidelitatis, quæ certè esset
propositio identitatis: enim sunt distincta ab infi-
delitate, non sunt infidelitas, atque ideo non con-
tinent negationem fidei præteritæ, nam qui fidem
præteritam negat, eo ipso committit peccatum
infidelitatis. Loquitur ergo de retentione fidei
habitualis, quæ sit distincta à negatione retracta-
tionis fidei: & per consequens, cum de eadem fide
dicat retineri post alia peccata, & amitti peccato
infidelitatis, in neutro casu loquitur de mero sta-
tu morali fidelitatis, sed in utroque loquitur de
habitu fidei, qui in iustificatione fuerat infusus.

Quod rursus probatur secundò ex verbis eius-
dem Tridentini can. 28. quibus doctrinam tradi-
tam illo *cap.* 15. declarat, dicens: *Si quis dixerit,*
amissa per peccatum gratia, simul & fidem sem-
per amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram
fidem, licet non sit viua aut eum, qui fidem sine
charitate habet, non esse christianum, anathema sit.
In quibus verbis eodem modo de charitate lo-
quitur, ac de fide, quare, vel utraque debet intel-
ligi actualis, vel utraque habitualis. Non potest
autem sermo esse ibi de charitate solum actuali;
nam sermo ibi est de fide non viua; fides autem
sine charitate actuali potest esse viua in eo, qui
cum sola attritione in Sacramento iustificatur;
debet ergo intelligi de charitate habituali, hoc
est, de habitu charitatis: neque enim intelligi po-
test de statu morali amicitiae, seu delectationis
non retractatæ; quia neque eiusmodi status repe-
ritur in eo, qui nunquam habuit actum dilectio-
nis, sed per solam attritionem in baptismo fuit
iustificatus, vel si baptizatus fuit in infantia, &
postea adultus peccaret grauius peccato furti,
postea in Sacramento cum attritione iustificatur,
in quo fides reperitur viua sine illo statu morali
dilectionis actualis non retractatæ; non manet
tamen fides sine charitate, quia datur habitus
charitatis, de quo ibi loquitur Concilium, &
quem eodem charitatis nomine intellexerat,
quando *c. 7.* dixit, fidem, spem, & charitatem in
iustificatione infundi: ergo nomine fidei intelli-
git habitum, etiam, & non statum solum mora-
lem; alioquin esset turpis æquiuocatio in eisdem
verbis, quæ doctrinam Concilij sine causa red-
deret obscurissimam.

Tertiò argui potest ex Suarez *dicto* *c. 7. n. 10.*
O o 4 quia

quia si remaneret status fidelitatis, & auferretur habitus fidei, non posset dici simpliciter, & absolute non amitti fidem; ergo quando dicit Concilium, peccato infidelitatis amitti fidem non loquitur de morali illa denominatione fidelitatis, sed de ipso habitu, qui quando amittitur, vel remanet, dicitur simpliciter amitti, vel remanere fides. Antecedens probat, quia quādo iustus peccat odio contra proximum, & amittit gratiam, & reliquos habitus infusos virtutum moralium, dicitur à Theologis amittere castitatem, & alias virtutes, quarum habitus infusos amittit, quamvis non amittat denominationem moralem casti, v.g. quam ex actibus frequentibus castitatis non retractatis, nec interruptis adhuc retinet. Sufficit ergo habitum infusum amittere, & id requiritur, ut dicatur virtutes amittere in sensu Theologorum, in quo Concilium loquutum est. Possumus autem hunc communem eorum verborum sensum confirmare ex Hieronymo *præfat. in lament. Hierem.* ubi de quolibet iusto, qui gratiam peccato amisit, dicit; *non auri, & argenti metallo, sed virtutibus radiabat: ablata sunt hac cuncta, nudata est domus Dei cunctis ornamentis suis.* quia nimirum habitus infusos perdidit, licet denominationem illam moralem quoad alias omnes virtutes, in quarum materia non peccauit, retinere possit. Et è contra, licet defectu operum, & exercitij homo iustus aliquando non habeat denominationem illam moralem alicuius virtutis, dicitur tamen simpliciter, & absolute habere, & retinere virtutem illam. Vnde Augustinus *tract. 8. in 1. ep. Ioan.* parum à principio hortatur ad exercitium bonorum operum, ne virtutes, quæ interius sunt maneat otiosæ. *Opera inquit, misericordia, affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc tenenda sunt, quia intus sunt omnes hæc virtutes, quas nominavi. Quis autem sufficiet omnes numerare? quasi exercitus est Imperatoris, qui sedet intus in mente tua: quomodo enim Imperator per exercitum suum facit, quod ei placet; sic Dominus Iesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro vituit istis virtutibus quasi ministris suis.* Ecce etiam absque exercitio actuum, & denominatione illa morali dicitur homo iustus simpliciter habere virtutes omnes quandiu habet earum habitus infusos: ergo his habitibus ablati, dicitur illas virtutes amittere, quamvis non perdat exercitium operum, & denominationem moralem, quare verba Tridentini de amissione virtutis internæ in eodem sensu intelligenda sunt.

59

Denique idem sensu colligi potest ex toto contextu illius sessionis sextæ, in qua fides ponitur vt pars iustificationis integralis vel saltem vt complementum illius, & idè *cap. 7.* ponuntur infundi fides, spes, & charitas cum remissione peccatorum, quod de habitibus debet intelligi, & postea *cap. 10.* dum declaratur ipsius iustificationis incrementum, vt constat ex titulo, dicitur, hoc iustitiæ incrementum esse augmentum fidei, spei, & charitatis, quod Ecclesia à Deo petit; quare ibi etiam sermo esse debet de habitu, nam augmentum iustificationis debet esse inhærens, & permanens, sicut & iustitia ipsa inhærens, & permanens esse debet. Cum ergo *c. 15.* agatur de amissione iustitiæ, & gratiæ acceptæ, & dicatur aliis peccatis præter infidelitatem amitti gratiam, non verò fidem, de eadem omnino fide habituali

intelligi debet, quæ per iustificationem, & eius augmentum accepta fuerat; non de statu fidelitatis, aut denominatione morali, quæ nullo modo est pars iustificationis, vel eius augmenti. Id verò, quod P. Vasquez supponebat de habitibus infusis, quod non sint certi ex fidei doctrina, iam impugnauius *suprà disp. 9. sect. 3.*

Fundamentum Durandi contra amissionem habitus fidei erat, quia habitus non destruitur totaliter ab vno actu contrario: neque enim qui errat circa vnam conclusionem Philosophicam, amittit totum habitum Philosophiæ circa omnes alias conclusiones Philosophicas, ergo nec qui errat circa vnum fidei articulum, debet amittere habitum fidei, cum possit adhuc alios articulos credere, circa quos non errat, proinde falso hæreticus errans circa Eucharistiam credit Unitatem, & Incarnationem. Posset hoc videri doctrina suprà tradita, quod sicut habitus fidei non repugnat cum habitu erroris, vt diximus, ita nec debet repugnare cum actu: nam cum actu amoris Petri potest stare habitus odij erga eundem, sicut cum voluntate currendi potest stare potentia, & inclinatio vehemens ad secundum, ergo cum actu infidelitatis potest stare habitus fidei, qui non est aliud quam potentia infusa ad credendum. Respondetur, quidquid sit de habitibus acquisitis, & de aliis potentis, in habitibus tamen infusis esse peculiarem repugnantiam, vt maneat cum peccatis oppositis. Quæ autem, & qualis sit hæc repugnantia, & unde proveniat explicandum nunc est.

Secunda ergo difficultas circa hanc amissionem habitus fidei est, an adueniente peccato infidelitatis destruat fidei habitus propter repugnantiam physicam, vel ex natura rei, quam habet cum illo peccato, an solum propter decretum aut legem Dei nolentis amplius habitum conservare, siue in penam, siue ob alium finem. Multi & graves doctores agnoscunt repugnantiam physicam Bases, & Thomistæ alij in præfatiis *quest. 5. art. 3.* P. Vasquez *1.2. disp. 91. cap. 4.* quem sequitur Torrianus *disp. 44. dub. 2.* & alij, quos affert, quibus fauet S. Thom. *dist. 17.3.*

Alij non agnoscunt repugnantiam physicam, sed solum dicunt expelli de meritore, vel dispositivè, quatenus auferatur dispositio necessaria ad conservationem fidei, vel ponitur dispositio contraria, atque adeo hanc totam repugnantiam volunt non esse physicam, seu ex natura rei, sed moralem. Ita Scotus, Gabr. & alij plures, quos affert, & sequitur Suarez in præfatiis *disp. 7. sect. 4. n. 1. & 2.* tom. 3. partem 9. 63. art. 5. §. quartus sensus, & lib. 1. de gratia c. 7. num. 11. Malderus, Loco, & alij, quos affert, & sequitur Coninch in præfatiis *disp. 18. dub. 4. num. 35.* Hurtado *disp. 59. sect. 1. §. 2. 3. & disp. 60. §. 56.* addens id totum provenire ex sola Dei voluntate, qui ita statuit in penam hæresis voluntarie.

Hac in re, suppositis nostris principiis, & doctrina superius tradita, vix potest remanere controuersia, nisi de vocibus, & in primis certum videtur, posse de potentia Dei absolute manere habitum fidei in hæretico, negante aliquem articulum: quod planè omnes videntur concedere, & meritò, quia nulla apparet implicantia contradictionis, quod potentia ad assensum, qualis est habitus infusus, maneat simul cum dissensu; nam licet assensus, & dissensus circa idem obiectum afferant contradictionem virtutalem: dissentient tamen

amen, & posse assentiri nullam eiusmodi contradictionem inuoluit, sicut nec amare, & posse odio habere, imo de facto etiam in heretico coniungitur cum heresi actuali potentia ad actum fidei, quia ipse potest, si velit conuerti imo quamuis concederetur talis repugnancia essentialis, id impediret ad summum, quod durante dissensu actuali, maneret habitus fidei: transacto tamen actu, posset reproduci diuinitus habitus fidei, etiam si prior dissensus non fuisset retractatus per actum contrarium: neque in hoc potest esse difficultas.

63 Rursus, si consideretur solam dissensus, seu actus erroris secundum suam entitatem physicam, & habitus fidei, certum etiam videtur, non esse oppositionem physicam inter illos; nam qui inculpate erat circa fidem, vel si ex defectu aduertentia plenae ad obligationem non peccat mortaliter, habet dissensum eiusdem rationis quoad entitatem physicam dissensus, solumque deest malitia extrinseca, proueniens ex voluntate mala imperante: & tunc nihil datur repugnans cum habitu fidei, qui adhuc integer perseverat. Vnde supposita sententia probabilissima, & satis communis, quod malitia etiam formalis in ipsa voluntate mala non sit adeo quare intrinseca, sed extrinseca, saltem partialiter, & proueniens formaliter ab aduertentia ad malitiam, & a concursu indifferenti Dei oblato in actu primo, consequenter fatendum est, habitum fidei nullo etiam modo repugnare cum voluntate imperante dissensum, & actum erroris, considerando nimirum voluntatem illam solum secundum id, quod intrinsece habet. Posset enim esse eadem voluntas sine malitia saltem graui ex defectu libertatis, vel aduertentia plenae, quo casu non expelleretur habitus fidei. Solum ergo restat difficultas, an habitus fidei repugnet physice, & ex natura rei cum actu erroris prout imperato ad voluntatem mortaliter mala; irat cum toto illo complexo erroris, & malitia grauis non possit physice, & ex natura rei fidei habitus coniungi.

64 Loquendo ergo de dissensu malo, vt malo grauitate, negare non possumus in nostris principis repugnantiam aliquam saltem mediatam ex natura rei cum habitu infuso fidei: omne enim peccatum mortale habet repugnantiam ex natura rei cum gratia habituali, quam expellit formaliter, & hac ablata ex natura rei, deberent perire alij habitus infusi, qui ab ipsa gratia quasi ab essentia dimanant, vt supra diximus; quamuis de facto Deus dispenset, vt habitus fidei, & spei maneant in peccatore: ergo saltem mediate peccatum infidelitatis expelleret ex natura rei habitum fidei expellendo immediate gratiam, ad cuius expulsiōem consequenter deberet destrui habitus fidei, nisi Deus specialiter ob alias rationes illum conseruaret. Hæc tamen repugnancia mediata ex hoc capite non est specialis, nec maior peccati infidelitatis, quam aliorum peccatorum, cum habitu fidei, cum omnia etiam alia peccata mortalia, quantum est ex se, expellerent mediate, & consequenter habitum fidei, nisi Deus specialiter vellet illum in peccatore perseverare. Potest tamen in aliquo sensu dici specialis hæc repugnancia cum peccato infidelitatis, quatenus eo solum posito habet suum effectum, & excludit habitum fidei, qui iuxta Dei legem de facto non excluditur positis aliis peccatis, & exclusa gratia: & hoc quidem propter specialem etiam

rationem fundatam in ipsa natura habitus fidei, & peccati infidelitatis. Quia nimirum in illo statu infidelitatis malitiosa habitus maneret otiosus, quod non habet positis aliis peccatis, & ideo est ratio specialis, vt ablata gratia propter infidelitatem auferatur etiam habitus fidei.

Hinc autem dubitari potest primo, an hæc specialis repugnancia, qua habitus fidei repugnat cum peccato infidelitatis propter otium, cui in eo statu subiaceret, dici possit repugnancia immediata, & ratione illius possimus dicere, quod non solum mediate propter connexionem cum gratia, sed etiam immediate repugnet habitui fidei peccatum infidelitatis. Ad quod breuiter responderi potest, hanc non esse propriam, & rigorosam repugnantiam immediatam, sed congruentiam aliquam maiorem, vt illa alia repugnancia mediata, quam explicuimus, executioni mandetur, & habeat suum effectum. Dupliciter enim potest hæc repugnancia orta ex habitu otiositate considerari. Primo quando actu exercetur peccatum actuale infidelitatis. Secundo postea, quando infidelitas prædicta non retractatur, & ideo permanet quasi habitualiter, vel moraliter. Habitus ergo fidei repugnat mediate cum peccato actuali infidelitatis, quatenus habet ex natura sua connexionem cum gratia, quæ expellitur per illud peccatum: non tamen habet in rigore repugnantiam immediatam propriam cum eodem peccato actuali propter rationem illam otiositatis; ex hoc enim capite non debuisset in rigore expelli. Etenim potentia illa non est otiosa, & frustra, quæ illo eodem instanti potest elicere suum actum. Tunc autem quando homo committit peccatum actuale infidelitatis, posset illud non committere, sed elicere actum fidei, ergo non esset eo instanti excludendus habitus propter otiositatem: nam licet non possint coniungi tunc actus fidei, & actus infidelitatis potest tamen tunc fieri actus fidei in sensu diuiso, & potest impediri actus infidelitatis, quod sufficit, vt ex hoc capite inutilitas non repugnet pro eo instanti. Vnde rursus apparet, nec esse repugnantiam illam immediatam, & propriam ex natura rei pro tempore sequenti inter habitum fidei, & infidelitatem præteritam non retractatam, repugnantiam, inquam, ortam ex illo capite otiositatis: quia etiam si habitus fidei restitueretur tempore sequenti ante infidelitatem retractatam, non esset frustra, nec otiosus: nam de facto hereticus tempore sequenti post hæresim actualem potest hæresim retractare, & elicere actum fidei: habet ergo potentiam ad illum actum fidei saltem per auxilium actuale intrinsecum, vel extrinsecum, quod supplet loco habitus. Quæ potentia non est frustra, nec otiosa, cum in aliquibus prodeat in actum, quando reuertuntur ad fidem. Si ergo restitueretur habitus infusus ad actum fidei eliciendum, si vellent, non esset frustra ille habitus, nec ratione orijs repugnaret, cum aliqui saltem de facto illo habitu vterentur ad conversionem, & ad veram fidem iterum amplectendam. In quo apparet discrimen inter lumen gloriæ, & statum infidelitatis: nam lumen gloriæ repugnat ex natura sua cum habitu fidei, quia in patria habitus fidei nec operatur, nec potest operari, & ratione otiositatis, hoc est, impotentia ad operandum, expellitur adueniente lumine gloriæ. At verò in infideli habitus fidei, licet non operaretur stante infidelitate, & in sensu composito, posset tamen semper operari, & expellere statum infidelitatis, & in aliquibus

65
specialis repugnancia qua habitus fidei repugnat cum peccato infidelitatis propter otium cui in eo statu subiaceret dici possit immediata.

bus ita operaretur, quod sufficeret ad hoc, ut non diceretur manere frustra, vel otiosus, si remaneret; non ergo repugnat immediatè ex natura rei cum infidelitate actuali, vel perseverante ratione otiositatis loquendo de propria, & rigorosa repugnantia.

66

Dixi tamen, esse congruentiam aliquam, ut in hæretico expellatur habitus fidei, & alia repugnantia mediata habeat suum effectum: quia nimirum licet habitus ibi non maneret omnino otiosus, quatenus otiositas significat statum, in quo non sit potentia proxima ad actum fidei, hanc enim potètiā proximam habet hæreticus etiam ut videmus: esset tamen otiosus quatenus otiositas significat statum, in quo licet homo possit uti eo habitu, & operari, ex decreto tamen stabili, & firmo non vult operari, & in hoc decreto moraliter, & habitualiter perseverat. In quo sensu diximus *suprà disp. 14. sect. 1.* habitum fidei auferri ab hæretico, ne maneat otiosus: non enim loquuti sumus de otio, quale haberet in patria, ubi nec esset operatio, nec potentia proxima ad operandum; sed solum loquuti sumus de otio proveniente, non ex defectu potètiæ, sed ex firmo decreto non operandi, sed dissentendi. Quare non videtur relinquenda ratio congruentiæ, quam insinuat Suarez *suprà* adductus ex defectu dispositionis, seu ex indispositione positiva, ob quem defectum auferitur habitus fidei; magis ab hæretico, quam ab aliis peccatoribus. Nam in rigore loquendo, solus actus afferens merum otium non videtur sufficere: puer enim baptizatus in infanzia, & nutritus in syluis, vel apud infideles absque vlla fidei notitia non amittit habitum fidei, quando alia peccata mortalia committit, etiam si sit in eo statu, in quo habitus erit prorsus otiosus ob defectum notitiæ rerum nostrarum fidei. Imò licet ille vel alius peccator, qui iam semel in baptismo, vel aliter habitum fidei acceperat, incidat in amentiam in statu peccati, & licet amentia sit ex natura sua perpetua; non auferitur ab eo habitus fidei, qui tamen in eo erit iam prorsus otiosus. Multo ergo refert, quod status ille otiosus procedat ex defectu voluntario dispositionis, seu ex indispositione positiva culpabili, qua homo non vult ulterius credere. Tunc enim est maxima congruentia moralis, ut perdat habitum fidei, qui iam ex natura sua sine habitu gratiæ non debebat conservari. Nam sicut Deus vult hæc dona habitualia adultis non nisi volentibus dare, ita vult non conservare in nolentibus, & respuentibus, & quamvis non exigat eandem dispositionem ad conservationem, & ad infusionem, nam ad infusionem exigit actum positivum, ad conservationem verò solum exigit, quod non respuantur per actum contrarium: quando tamen homo per actum contrarium ea dona abiicit, & respuit, Deus meritisimè ea auferit; quippe qui ea volentibus solis confert, & in inuitis non conservat, loquendo ut dixi de adultis. Non est autè iniquus homo in conservatione fidei quandiu, licet alia peccata committat, non tamen contra fidem, quæ adhuc mente complectitur. Imò habitus videtur in volente conservari, quia prior voluntas credendi non reuocata censetur moraliter perseverare. Peccatum ergo infidelitatis habet hanc peculiarè repugnantiam cum conservatione habitus fidei, quatenus mouet Deum cògruentissimè, ut auferat habitum ab iniquo, & eum respuente, & abiiciente. Hæc tamen specialis repugnantia

immediata non est, ut dixi ex hoc capite repugnantia plusquam moralis, & mouens Deum, ut ponat affectum repugnantiam mediata, quæ erit ex ipsa rei natura, ut habitus fidei absente gratia non conservaretur.

Secundò circa hoc ipsum dubitari posset, an illa prior repugnantia mediata, quam habitus fidei habet cum peccato infidelitatis propter connexionem, quam habet cum gratia, & quam diximus esse repugnantiam ex natura rei mediatam, appellari debeat repugnantia physica, an moralis. Ad hoc etiam ex dictis respondere possumus distinguendo: possumus enim comparare habitum fidei cum peccato actuali infidelitatis, vel cum peccato solum habituali. Loquendo itaque de peccato actuali, concedere possumus, illud physicè repugnare mediata cum habitu fidei: quia repugnantia illa versatur inter extrema physica, & fundatur in eorū naturis. Nam habitus fidei est entitas adæquate physica, & habet ex natura rei connexionem physicam cum gratia habituali, licet non pendat ab ea ut à propria causa efficienti, ut *suprà* diximus. Aliud peccatum actuale infidelitatis, licet pertineat ad genus moris, & ideo includat moralitatem, & malitiam moralem, illa tamen moralitas tota resoluitur in entitates physicas, nempe in voluntatem, & dissentium positivum, & physicum, & aduerterentiam rationis præcedentem, & in libertatem arbitrij in actu primo, quæ omnes sunt entitates physice; quarum complexio habet repugnantiam cum gratia habituali, & mediata ut consequenter cum habitu fidei: potest ergo hæc appellari repugnantia mediata physica.

Loquendo verò de peccato habituali infidelitatis quod est macula ex peccato actuali relicta, cum hæc macula non sit adæquate physica, sed ex parte sit ens morale. Consequens est, ut repugnantia inter habitum fidei, & ipsam non possit esse simpliciter & absolute physica, quippe quæ non est inter extrema physica. Nam peccatum habituale, ut suppono ex *disp. 7. de Pœnitentia sect. 5.* est actus malus præteritus moraliter perseverans, quatenus non est condonatus, nec sufficienti satisfactione purgatus, & ideo licet physicè iam non existat, dicitur æquivalenter, seu moraliter permanere in ordine ad eorū effectus operandos, ac si actu physicè existeret: cum ergo eius existentia sit solum æquivalens, & moralis, non potest fundare repugnantiam physicam cum habitu fidei: non enim potest physicè pugnare id, quod physicè non est, sed solum moraliter, & æquivalenter: quare hæc appellari poterit repugnantia moralis mediata, sed tamen fundata in ipsa morali natura peccati habitualis infidelitatis, & non in sola lege, & mero placito Dei.

Quia tamen diximus, hanc repugnantiam partim esse dicendam physicam, partim ex natura rei moralem, partim solum moralem ex lege Dei, incumbit nobis breviter respondere ad argumenta aliarum sententiarum. Et in primis ipsæ sententiæ, quæ negant ullam repugnantiam physicam, vel ex natura rei, arguunt primò, quia totus ille dissentius physicus, quem habet hæreticus, potest esse repugnantia cum habitu fidei. Ita arguit Hurtado *disp. 50. §. 45.* & latius prolequitur fuerat *§. 5. & sequentibus.* Respondetur facile ex dictis, repugnantiam hanc non versari inter habitum, & assensum erroneum secundum se, sed ut procedentem à voluntate mala, & grauiter

ter peccaminosa contra fidem: illud autem totum complexum est physicum, & non potest ex natura sua coniungi cum habitu fidei.

Secundo arguit idem Auctor §. 12. quia peccatum contra revelationem non propositum ab ecclesia, sed tamen aliunde sufficienter propositum, ut obliget ad fidem, non repugnat cum habitu fidei, nec illum expellit, sed solum peccatum hæresis, quo aliquis reiicit dogma ab ecclesia propositum, ergo neque hoc pugnat ex natura rei cum habitu fidei: differunt enim materialiter hæc duo peccata, quatenus negant revelationes diuerso modo propositas, cum tamen fides æquè obliget ad acceptandam utramque. Respondetur, antecedens esse falsum, ut postea videbimus, quia utroque peccato expellitur habitus fidei. Sed licet dæremus solo peccato hæresis expelli, adhuc utrumque haberet repugnantiam mediatam ex natura rei cum habitu fidei, cum utrumque haberet repugnantiam immediatam cum gratia, sine qua ex natura rei non potest esse habitus fidei.

Tertio arguit §. 46. quia licet assensus, & dissensus pugnent inter se, non tamen pugnant dissensus, & potentia ad dissensum, qualis est habitus fidei, ergo hic habitus non pugnat physicè cum dissensu hæretico. Respondetur ex dictis, repugnantiam mediatam à nobis assignatam non oriri ex eo, quod habitus fidei sit potentia ad assensum contrarium dissensui erroneo, sed ex eo quod habeat connexionem cum gratia, cum qua repugnat dissensus erroneus contra fidem, quando est grauiter peccaminosus: quare exemplum aliarum potentiarum, quæ possunt simul esse cum actibus contrariis suis propriis actibus, non est ad rem; quia potentia illæ non habent necessariam connexionem cum aliquo alio, cui actus illi repugnent. Hæc ergo: & similia argumenta non procedunt contra nostram sententiam, nec illi Auctores iis vtuntur, nisi ad probandam non esse repugnantiam immediatam, neque ex ratione obiecti formalis.

72 Illi verò, qui ponunt repugnantiam physicam immediatam peccati infidelitatis cum habitu fidei, quam tamen nos negauimus, imò & mediatam etiam cum peccato habituali, arguunt primo, ex S. Thoma, qui hac §. 5. art. 3. probat, non manere fidem in hæretico, ex eo quod non potest iam credere alia propter motuum fidei, quod est veritas diuina, secundum quod manifestatur in scripturis sacris, & doctrina ecclesiæ; quo motu ablato, propterea fertur in hæretico, non potest habitus manere. Hæc autem videtur esse repugnantia physica, cum fundetur in repugnantia cuiuslibet habitus, ut operetur sine suo motu formali. Respondetur, rationem S. Thomæ procedere directe ad probandam repugnantiam immediatam inter actum fidei, & actum infidelitatis circa aliū articulum, eo quod ablato obiecto formali fidei per vnum actum, non potest alius actus tendere sub illud obiectum formale, & per consequens non potest habere speciem fidei, quæ species ablato obiecto formali, à quo necessario pendet, non potest manere, & ideo in titulo articuli & in eius initio solum queritur, an in hæretico, qui discedit vnum articulum, possit manere fides in formis de aliis articulis, nimirum fides actualis: nam habitus, cum sit simplex, non potest esse de aliquibus articulis distinctè, sed de omnibus in communi, qui reuelari possunt. Hinc tamen obiter inferit S. Thomas, consequenter non manere

habitu fidei in hæretico, supponebat enim aliunde, cum habitum non manere, nisi ad operandum: quare si in hæretico non potest esse operatio vlla habitus fidei, frustra in eo maneret: non tamen dicit, hinc oriri repugnantiam immediatam habitus cum peccato hæresis, vel infidelitatis.

Secundo arguunt, quia fides destruitur peccato infidelitatis, non autem demeritoriè, ergo physicè. Minor probatur, quia alia sunt grauiora peccata hæresi, v.g. odium Dei: & tamen ob illa non perditur habitus fidei. Ita Vasquez, & Turrianus locis supra citatis. Respondetur, habitum fidei destrui quidem physicè propter oppositionem mediatam physicam cum peccato infidelitatis, ut explicuimus: loquendo autem de oppositione immediata, hæc est moralis: quia licet sint alia peccata grauiora, Deus noluit hæc speciali pœna ea punire, sicut punit hæresim, quia homo abiicit à se, & respuit fidem, quam Deus non donat adulto nisi volenti, nec conseruat in inuito, vnde hæc pœna habet maiorem proportionem cum hoc peccato, quam cum aliis etiam grauioribus. Sic Deus filiis honorantibus suos parentes retribuit vitæ diuturnitatem; iuxta illud Exodi 20. *Honora Patrem tuum & matrem tuam, ut sis longæuus super terram. quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* & ijs, qui bona sua indigentibus partiuntur, retribuit eorumdè temporalium bonorum abundantiam iuxta Christi verbum Luc. 6. *dante & dabitur vobis:* quæ præmia non promittuntur aliis sanctioribus operibus, cum quibus non habent ita speciale proportionem: semper tamen grauiora peccata grauioribus pœnis puniuntur, & sanctioribus operibus maiora præmia redduntur, non verò necesse est, quod eadem reddantur.

Tertio arguunt, quia si hæresis non pugnet physicè cum habitu fidei, sed possent ex natura rei manere simul, posset tunc hæreticus dici fidelis, nam qui fidem retinet, fidelis est. Ita arguit Bañes dicta quæst. 5. art. 3. Respondetur negando sequelam, nec enim hæreticus posset simpliciter dici fidelis, quia fidelis non dicitur à solo habitu retento, nisi sit etiam carentia auersionis voluntariæ à fide. Sicut neque è contra dicitur hæreticus, aut infidelis ille, qui amplexus est iam fidem, & baptizatus est, licet adhuc retineat habitum acquisitum infidelitatis, qui cum intensus fuisset, non potuit primo actu contrario omnino corrumpi; non tamen denominatur iam infidelem simpliciter propter auersionem voluntariam ab infidelitate. Item homo iustus, qui tamen frequenter, & sine causa mentitur, non dicitur simpliciter verax, sed mendax, licet adhuc, quando est in gratia, retineat habitum infusum veracitatis. Sic ergo licet hæreticus retineret habitum infusum fidei, non diceretur fidelis, sed hæreticus simpliciter & absolute.

Quarto arguunt, quia sequeretur, posse aliquem ex natura rei esse simul partem Ecclesiæ, & non esse; nam hæreticus esset ex vno capite extra Ecclesiam, & ideo quando absoluitur, reconciliatur Ecclesiæ: ex alio etiam capite esset pars Ecclesiæ, si quidem haberet characterem baptismi, & fidem, quam Christus influeret in illum. Respondetur, hoc argumento, & similibus probari, nec etiam de potentia Dei absoluta posse manere simul habitum fidei, & hæresim actualement: nam esse fidelem, & non esse fidelem, esse partem, & non esse partem Ecclesiæ, contradictionem inuoluunt. Omnes ergo debemus respon-

73

74

Obiectio 3.

75

Obiectio 4.

spondere, sicut eo casu ille esset simpliciter hæreticus, ita futurum esse extra Ecclesiam eo modo, quo hæretici dicuntur esse extra Ecclesiam. Quia-
vis enim haberet characterem baptismalem, ratione cuius aliqui volunt, hæreticum esse intra Ecclesiam, quos refert Suarez *infra disp. 9. sect. 1. num. 20.* communiter tamen ob auersionem à fide dicitur simpliciter esse extra Ecclesiam, ut ex Patribus, & Theologis probat idem Suarez *ibi n. 21.* Nec obstat, quod in casu nostro haberet habitum fidei, quia diximus, hunc non sufficere ad denominandum simpliciter fidelem eum, qui contra fidem sentiret, atque ideo nec sufficeret, ut diceretur esse intra Ecclesiam, à qua se sponte per hæresim separauerat. Denique non obstat, quod Christus influeret in ipsum conservando habitum fidei: nam nunc etiam de facto infuit Christus in hæreticos, communicando eis auxilia intrinseca, quibus possint elicere fidei assensum, quæ auxilia differunt solum ab habitu, quod non sint qualitates permanentes, sed transientes; dantur tamen ad eliciendum actum fidei, & sunt fides in potentia quatenus sunt virtus transiens ad fidem actualem: non tamen sufficiunt ad denominandum fidelem eum, qui credere non vult; nam posse credere, & nolle, non est esse fidelem. Sic ergo licet Christus influeret conservando habitum fidei in hæretico, influxus ille non faceret eum esse intra Ecclesiam, quia solum haberet à Christo posse credere, & hoc per virtutem intrinsecam permanentem: posse autem etiam potentia permanenti credere, & nolle credere, non est esse fidelem, nec facit esse intra Ecclesiam, à qua sponte se separat per hæresim voluntariam.

76
Obiectio 5.

Omissio alia leuiora argumenta, & addam vñ, vel alterum, quæ contra nostram sententiam adhuc fieri possent. Quinto ergo ex proximè dictis argui potest, quia si auxilia actualia, quæ Christus communicat hæreticis ad credendum, præstant idem, quod præstaret habitus fidei, si maneret, & faciunt eos potentes credere, sicut si habitum ipsum retinerent; ergo ratio eadem, ob quam eis aufertur habitus intrinsecus fidei, quam sponte abiecerunt, procedit etiam, ut eis auferantur, vel denegentur ea auxilia præsertim intrinseca, quæ faciunt idem, quod faceret habitus. Respondetur, dignos quidem eos esse, quibus hæc etiā auxilia denegarentur. Quia tamen in statu viæ adhuc remanent, & eos Deus clementer ad poenitentiam inuitat, debet eis dari media necessaria, sicut peccatori cuiuslibet, cui charitatis habitus ob peccatum mortale ablatum est, dantur adhuc auxilia ad actum charitatis, & contritionis eliciendum, ut conuerti possit, & recuperare gratiam amissam. Facilius autem conceduntur peccatori, vel hæretico ea auxilia, quàm retentio habituum; tū quia habitus maiora dona sunt, & passionēs gratiæ habituales, & complementum, atque pars integritatis iustitiæ internæ, qua homo completè & integrè iustificetur formaliter per iustitiam inhaerentem; Tum etiā quia status peccatoris Catholici valde diuersus est à statu hæretici. Nam Catholicus, etiam si in peccato sit, frequenter tamen, & passim exercet actus fidei, ad quos congruit, quod virtutem permanentem habeat; in hæretico habitus esset otiosus non solum in actu secundo, sed etiā communiter in actu primo; nam propter suam obliuionem, & alienationem à fide Catholica

raro est in actu primo proximo ad credendum, quæ applicare vult mentem ad cogitandum de motiis credibilitatis. Ad casus ergo raros non oportebat relinquere virtutem permanentem, sed sufficit dare transiunt, quādo casus occurrat. Sic neque in aqua ponitur virtus intrinseca permanentis ad causandam gratiam etiam ab iis, qui dicunt concurrere physice ad gratiam, sed solum virtus transiens, quando casus baptismi occurrat.

Sexto. Obiici potest, quia hæreticus, licet non credat, habet tamen aliquos actus supernaturales, pertinentes ad habitum piæ affectionis, nempe affectus simplices erga honestatem fidei, quibus Deus eum excitat, & mouet ad volendum credere: qui affectus sunt supernaturales, & numerantur inter gratias præuenientes, atque ideo indigent principio supernaturali, & sunt ab habitu piæ affectionis infusus, quando adest. Ad eandem enim habitum spectant affectus simplices erga bonum, ad quem spectat amor efficax eiusdem boni. Ad hos ergo actus, & affectus, qui frequentes sunt in hæretico, cuius Deus cor frequenter pulsatur, & excitat, relinqui deberet saltem habitus infusus piæ affectionis. Quod argumentum fortius adhuc urget pro habitu infuso, à quo oritur iudicium euidentis credibilitatis, quod iudicium diximus *supra disp. 11. sect. 1. & 2.* esse supernaturale, & fieri ab habitu infuso: hoc autem iudicium frequenter inuenitur in hæretico, qui agnoscit bene obligationem amplectendi fidem Catholicā, & per consequens iudicat, eam esse prudenter credibilem, licet malitiosè noliteam credere: deberet ergo relinqui saltem hic habitus infusus in intellectu, ut maneret principium permanentis illius iudicii, præsertim cum hæreticos hunc habitum non abiecerit, nec erraret, circa obligationem credendi, nec illam in sua mente negauerit per iudicium contrarium.

Respondetur, quod attinet ad habitum piæ affectionis, hanc merito aufert, cum hæreticus non minus, quàm habitum fidei, eum etiam abiecerit per actum contrarium nolendo credere, sed potius imperando sibi dissentium impium, & erroneum, quare posita non solum negatione dispositionis, sed etiam in dispositione positius, aufertur habitus voluntatis, qui quamuis si mansisset, non fuisset omnino otiosus quoad affectus simplices; esset tamen otiosus quoad actus efficaces, propter quos potissimum dantur, & conservantur huiusmodi habitus infusi. Habitus etiā intellectus infusus, qui deferunt ad iudicium euidentis credibilitatis, aufertur, quia hic habitus non datur, nec conservatur, nisi propter actus, & habitus fidei, & piæ affectionis: Vnde quamuis actus proprius huius habitus non sit liber, nec moralis, infunditur tamen adultis, posita dispositione morali, quæ requiritur ad infusionem habitus fidei, & piæ affectionis, cum quibus facit vnum in ratione doni, & ideo ad sui conseruationem exigit etiam eandem dispositionem, qua non retractetur dispositio antea posita ad eius infusionem: hæreticus autem eo ipso, quod ostendit se inuitum ad retentionem fidei, & piæ affectionis, ostendit etiam se inuitum ad retentionem illius alterius habitus intellectus, qui facit vnum in ratione doni cum piæ affectione, & fide, atque adeo sicut simul, & cum eadem dispositione infunduntur, sic etiam simul semper, & ob eandem indispositionem auferuntur.

Vltimo

Obiectum vlt. Vltimo obijci potest, quia in hæretico manet facilitas ad credendos alios articulos, circa quos non errat, ergo manet fidei habitus ad illos credendos. Respondetur facile ex dictis, habitum infusum non dare facilitatem, sed potentiam ad assensum supernaturalem: quare facilitas illa in hæretico est habitus acquisitus, hoc est, in mea sententia species bene coordinata & disposita ad percipienda ea obiecta, & motiua etiam credibilitatis. Cur autem circa eos articulos non eliciat hæreticus assensum fidei supernaturalem, sed alium assensum minus perfectum, dicitur postea.

Hinc infero, habitum fidei non expelli à peccato infidelitatis in genere causæ efficientis, vt voluit Okamus quodlib. 3. quæst. 7. & alij Recentiores, quos refert Turrianus disput. 44. dub. 2. in principio. Ratio autem est, quia causa expulsiua, vel destructiua alterius in genere causæ efficientis dupliciter id potest facere. Primo suspendendo concursum, quo rem illam conseruabat in genere causæ efficientis, prout Deus dicitur posse destruere Angelum, quem conseruat. Secundo producendo efficienter aliquid, à quo formaliter illud destruitur, vel expellatur: prout ignis dicitur efficienter expellere frigus à ligno sibi applicato, quia nimirum producit efficienter in ligno calorem, à quo in genere causæ formalis expellitur frigus. Neutro autem modo peccatum hæresis expellit habitum fidei. Non quidem primo modo, cum habitus fidei non conseruaretur ab hæresi, vt constat. Non etiam secundo modo, quia peccatum illud non producit efficienter aliquam formam repugnantem formaliter habitui fidei: nam licet producat fortasse habitum naturalem erroris, hic tamen non repugnat formaliter cum habitu fidei, vt supra vidimus, & constat in hæretico conuerso ad fidem, qui simul cum habitu fidei, quem recuperat, retinet habitum antiquum hæresis saltem quoad aliquos gradus illius. Restat ergo vt hæresis eo modo, quo expellit habitum fidei, id præster solum in genere causæ formalis, propter repugnantiam, quam habet cum gratia, cum qua habet connexionem habitus fidei. Cæterum si sermo esset de causâ efficienti minus propria, concedi posset expelli efficienter à peccato hæresis: nam sicut merita sunt causa moralis præmij, ad cuius retributionem mouent, & ideo reduci possunt ad genus causæ efficientis; ita demerita, seu peccata sunt causa moralis pænæ, ad quam mouent, & in eo sensu possunt reduci ad genus causæ efficientis. Vnde peccatum hæresis, quod per modum demeriti mouet Deum ad expulsiorem fidei, potest dici efficienter illam expellere efficientia moralis, in quo sensu intelligi potest, quod dixit S. Thomas in 1^a quæst. 24. art. 10. charitatem corrumpi efficienter per peccatum mortale. Nam licet possit intelligi non tam de ipso peccato, quam de peccatore, qui facit peccatum, & medio peccato expellit charitatem efficienter: potest tamen intelligi etiam de efficientia non physica, sed morali, qua peccatum ipsum videtur effectiue expellere charitatem. Fateor, ibi S. Thomam condistinguere efficientiam à demerito, & dicere, vtrouque modo expelli charitatem à peccato, nempe effectiue & demeritoriè. Hoc tamen totum adhuc intelligi potest sine efficientia physica: nam peccatum dupliciter potest Deum mouere ad tollendam charitatem: nempe monendo Deum, vt puniat, & in pœnam auferat charitatem, & hoc est expel-

lere demeritoriè. Deinde potest mouere Deum, non quidem vt puniat, sed vt obiectum reddens hominem ineptum amicitia diuinæ; sicut etiam vnus homo, qui alium punire non potest, desinit tamen esse illius amicus propter eius deprauatos mores non quidem in pœnam, nec vt puniat, sed quia inuenit illum ineptum suæ amicitia. Sic ergo peccatum moraliter etiam efficienter mouet Deum ad tollendam charitatem à peccatore, & non solum demeritoriè.

S E C T I O V.

Quo, & quali peccato infidelitatis amittatur habitus fidei.

Diximus in genere, peccato solo infidelitatis amitti habitum fidei: oportet nunc examinare, an quolibet peccato contra fidem commissio perdatur habitus fidei, an solum propter aliqua, & quæ illa sint. Sermo autem est de peccato mortali, nam propter venialia proculdubio non perditur, vnde cumque leuitas proueniat, siue ex defectu plenæ deliberationis, siue ex leuitate materiæ, si hæc dari possit in peccatis aliquibus contra fidem, siue ex alio quocunque capite.

In primis ergo dubitari potest, an ex infidelitatis peccato commissio ex ignorantia grauiter culpabili oriatur habitus fidei expulsiuo. Affirmat multi de ignorantia antecedenti, alij saltem de affectata, quos referunt Suarez disp. 19. sect. 3. num. 3. & Hurtado disp. 82. sect. 6. §. 48. quibus adde Coninch disp. 18. dub. 4. num. 31. de quo tamen dixi disp. 16. de pœnit. sect. 4. num. 193. & sequentibus, vbi negauit, eo peccato perdi habitum fidei, quam sententiam tenent Suarez in presenti disp. 19. sect. 3. num. 10. & alij communiter, quos congerit, & sequitur Hurtado vbi supra §. 50. de quo tamen, cur non sit hæreticus, agendum est infra ex professo disput. 20. sect. 6. Nunc solum dicimus, eum non amittere habitum fidei: quod difficile videri posset, eo quod ille verè peccet mortaliter contra fidem, atque ideo incurrit peccatum infidelitatis, Tridentinum autem supra adductum illa sect. 6. c. 15. simpliciter, & absolute dixit, peccato infidelitatis amitti fidem. Cæterum sicut ille non dicitur simpliciter hæreticus, vt cum communi sententia videbimus loco citato, quia licet culpabiliter discedat ab ecclesia non tamen cum pertinacia, imo paratus est credere cum ecclesia, quando ecclesie sensus ei sufficienter proponitur, quamuis in hoc peccet, quod sensum ecclesie non exquirat: sic etiam non dicitur simpliciter infidelis, nec illud peccatum dicitur simpliciter infidelitatis, quia paratus est acceptare veram fidem, quoribus sufficienter proponitur, licet in hoc ipso peccet, quod non examinat debito modo motiua ad inueniendam veram fidem; quare sicut non incurrit pœnas hæreticorum ecclesiasticas, sic nec incurrit hanc pœnam internam, & iacturam habitus fidei, qui in eo statu paratus est ad credenda omnia obiecta reuelata sibi sufficienter proposita, licet non sit paratus ad ea inquirenda, & habet voluntatem credendi, quidquid ab ecclesia, vel aliter sibi ex parte Dei sufficienter propositum fuerit, quæ est voluntas piæ affectionis.

80

An ex infidelitatis peccato commissio ex ignorantia grauiter culpabili oriatur habitus fidei expulsiuo.